

amplissima dominatione superbi, sic testatur lib. 1. c. 1. Omnia post religionem ponenda semper nostra civitas duxit, etiam in quibus summa maiestatis decus conspici voluit: quapropter non dubitaverunt sacris Imperia servare, ita se rerum humanarum habitura regimen existimantia, si divina potentia bene & constanter fuissent famulata.

17. Can. 79. Vulgarem illorum temporum & abusivam consuetudinem reprimit, quo certis quibusdam ritibus colebantur Virginei partus secundina: declaraturque Deipara partum fuisse ἀλόχων immunem a secundinis & supervacaneis eluvionibus. Addit etiam absque femine ullo πικρον ἀσπίρας συστάτα.

18. Can. 82. Jubeat Christum sub humana figura representari & coli: vetat autem sub Agni figura. Hadrianus Papa in suo ad Carolum Magnum pro imaginibus libello Trullanum istum Canonem profert; non ut Pseudosynodo huic auctoritatem conciliet; quam præcessor Sergius Papa reprobatur; sed ut Schismaticos, & Græcos Iconoclastas, aliosque his consentientes propriis ipsorum armis debellet, quemadmodum Goliathem Philisthæum David educto ejus gladio capite truncaverat. Ceterum illa imaginum Christi sub Agni specie representatio prohibitio Scripturis divinis injuriosa est, a quibus plerumque sub Agni tum denominatione tum officio Dominus JESUS representatur; ut patet in Isaiâ, in testimonio Joannis Baptistæ, apud Evangelistas, & in Apoclypsi, primaque Petri Epistola. Religiosus etiam primitivæ Ecclesiæ usus nihil habuit hujusmodi effigie frequentius, quæ passim visitur in antiquissimis, quæ Romæ etiam nunc extant Basilicis, & in subterraneis cæmeteriis, aliisque vetustissimis monumentis, tum sculpto, tum mureo tessellatoque opere. Denique antiquus liber Ordo Romanus ex præscripto receptoque olim usu hæc tradit: In eadem Dominica post Albas, intra civitatem Romanam dantur Agni cerei ab Archidiacono in Ecclesia post Missam & communionem populo. Quæ adhuc quotannis Romæ consuetudo servatur.

19. Can. LXXXIV. Canonicos Patrum ritus sequentes, de infantibus quoque decernimus, quoties non inveniantur firmi testes, qui eos absque dubitatione ulla baptizatos esse dicant, nec ipsi propter ætatem de tradito sibi mysterio apte respondere possint, debere absque ulla offensione baptizari, ne forte hujusmodi dubitatio eos ejusmodi purificationis sanctificatione privet.

Simile huic decretum longe præcesserat Concilii Carthaginensis quinti can. 6. quem superius suo loco vide una cum schollis nostris, in quibus illustrata sancti Gregorii Papæ, necnon sancti Raimundi de dubiis etiam Confirmationibus, Ecclesiarum consecrationibus, & ambiguis Clericorum ordinationibus.

20. Can. LXXXVI. Qui Christum per Baptismum induerunt, ejus in carne vitæ agendam rationem imitari professi sunt.

Sententia hæc omnium Christianorum cordi infixa esse debet: οἱ Χριστὸν διὰ τὸ βαπτισματὸς ἐνδύσαμενος τὴν ἐν σαρκὶ αὐτοῦ πολιτείαν μιμησάμενος καθ' ὁμοιωσιν. Præclare de baptismo loquitur Apostolus Rom. 6. Quicumque baptizati sumus in Christo JESU, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus, si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus.

21. Can. C. picturas prohibet, quæ ad turpes libidines illiciunt, & earum opifices excommunicari præcipit. Hoc enim habet vox ἀπορροια: non vero, ut transferat Latinus interpres, deponi, quam depositionis penam solis Clericis solent Græci Canones infligere per vocem καθαρῶσα.

22. Can. CI. minime permittit communicantes Eucharistiam aliquo vasculo excipere, sed folis manibus in crucis figuram conformatis. Hoc idem suadet Cyrillus Jerosolymitanus Catech. Mytagog. 5. quem etiam veterem communicandi ritum sic exprimit lib. 3. de sacerdotio Chrysostomus, ἡ μετὰ τὸν πάρος ἀνομιαν καὶ ἀκαθαρσίαν καὶ ἁμαρτίαν. Qui cum Patre sursum sedet, omnium manibus continetur. Alicubi tamen mulieres sacratissimam hostiam linteamine excipiebant, ut docet Augustinus ferm. 252. Maximus Martyr & Monothelitarum generosus debellator admonet communicaturos viros, ut prius manus abluant, mulieresque ut linteamina mundissima deferant, quibus Christi Corpus excipiant. Denique Concilium Antiochenense præcipit canon. 36. Non liceat mulieribus unda manu Eucharistiam sumere. Vocatur idem Concilium canon. 42. Dominicale linteam, illud quo mulieres jubet ad hoc uti.



ECCLESIAE OCTAVI SÆCULI HISTORICA SYNOPSIS.



Desinente septimo Sæculo & octavo ineunte, Christi fides Borealis Regionibus illuxit. Suibertus & Willibrordus sancti Sacerdotes ambo ex Anglia profecti, & auctoritate Apostolica præmuniti Divinum Evangelium Batavis, Frisiis, Saxonibus, & Danis prædicarunt. Permultique miraculis vastissimas illas Provincias ab idolorum cultu ad Christum converterunt. Sub his felicissimis auspiciis partisque utriusque laboribus, cum jam illis in regionibus Ecclesia radicata floresceret, Willibrordus Romanam ad Sergium Pontificem profectus, donatus est ab eo Archiepiscopali pallio, & Romæ in Archiepiscopum Trajectensem consecratus. Inde Trajectum regressus, magna gratulatione & gaudio a Suiverto exceptus est, convocataque amplissima Synodo apud Trajectum rebus Ecclesiæ communicatis consiliis sapientissime providerunt. Suibertus, quem ut ducem & caput salutiferæ hujus missionis Wilfridus Episcopus gentis Nordmannorum consecraverat Trajectensis civitatis Antistitem, auctoritate Apostolici Legati, qua ipsum Agatho Papa decoraverat, postquam fuerat Romanum in Concilium sub eodem Pontifice præsens admittus, Suibertus inquam vocabatur Trajectensis Ecclesiæ Episcopus, Willibrordus autem ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopus, quippe qui pallio cum hac denominatione fuerat a Sergio Romæ insignitus, ut scribit dignus utriusque collaborator & comes Marcellinus in Suiverti vita, & ex illo Baronius ad annum 695. num. 6. & 7. Ex Willebrordi disciplina insignis prodidit discipulus Wilfridus Sacerdos alter Germanorum Apostolus, qui Evangelium in ultiores quoque Germaniæ Provincias propagavit, ascitque novo Bonifacii nomine consecratus est Moguntinensis Archiepiscopus: sed post obitum Willebrordi, cui Sergius Papa nomen Clementis similiter indiderat, stabilitus fuit secundus Trajectensis Archiepiscopus, ut illam quoque reget Praefecturam, ut prodidit idem Marcellinus. Ad harum gentium conversionem permultum contulit illustris Princeps & Major domus sub Franciæ Regibus Clotario, & Dagoberto, atque Dux Neustriæ Pipinus dictus Herefthallus, qui fuit avus alterius Pipini genitoris Caroli Martelli, & proavis Pipini, qui primus ejus stirpis & nominis sceptrum Francici Regni tenuit. Cum enim Radbodus Frisonum Rex nascentem in illis locis Ecclesiam extinguere conlitteret, Pipinus illum Franciis armis Trajecto & Frisia expulit, atque ad remotiorem quandam Insulam fugere coegit, præcepitque subditis sibi Paganis, ne quis prædicantibus Christum quidquam molestiæ inferret; quodcumque vero potuit præsidii, ad hæc Ecclesiarum primordia liberalissime contulit, hortante spontaneum Ita conjuge religiosissima & sanctissima, ex qua tres ille liberos suscepit, Grimoaldum, Gertrudem & Beggam: ex Beggæ vero & Ansegisi matrimonio editus est Pipinus junior, ejus nominis secundus; ex hoc Pipino Herefthalli Pipini nepote & Elpide concubina ortus fuit Carolus ille Martelli cognomine insignis, a quo progeniti sunt Carolus alter, & Carolomannus, qui monachismum apud montem Cassinum sub Abbate Petronacte professus est, & Pipinus tertius, qui Franciæ regnum est adeptus. Hanc illustrem genealogiam ex Abbate Stephano refert Baronius anno 631. n. 6. Porro Itta Pipini senioris vidua cum Gertrude filia Monastica vitæ se addidit.

2. Byzantium Imperium simulque Catholicam in Oriente religionem nequitia Justiniani Rhinotmeti ejusque successorum pessumdedit. Philippicus postquam Rhinotmeti ejusque filium Thiberium jugulavit, Imperiumque assumpsit, scelestum & hæreticum hominem Regiæ urbis Patriarcham fecit, annoque 712. sextam Synodum proscriptis, hæresimque Monothelitarum sopitam resuscitavit. Theodosio Adramyteno rerum potente, Mafalmas Saracenorum Princeps in Asiam excurrit, & Capadociam invadit. Depulso Theodosio, Isaacus Leo genere natus obscuro, Imperium capessivit; sub cujus primordio Saracenos Constantinopolim obsidentes gravi eorum clade profregit anno 717. idemque Bezotris ex Christiano Mahumetani consiliis addictus, anno 726. bellum in Sæctorum imagines excivit: quo per satellites suos aneam Christi statuum dejecit. Germanum Constantinopolis Patriarcham edicto contra Imagines subscribere renuentem dignitate removet, subrogato illius in sedem Anastasio, omni furit immanitate Cabassitii, Notitia Ecclesiastica.

adversus quoscunque impietatem illam averfantes: venerabile Studitarum Collegium, Religionis columnem, scientiarum promptuarium, dubitantium & consulentium refugium & oraculum, una cum instructissima Bibliotheca injectis flammis concremavit. Joanni Damasceno, per calumniam dexteram, qua præstantissimos pro sacrarum infantium defensione libros scripserat, amputari fecit. Sed vir Sanctus Dei Genitricis coram ipsius imagine invocata præciam manum suspendo miraculo recuperavit.

3. Scelerato parenti nequior successit proles Constantinus dictus Copronymus, qui dum baptizabatur, sacrum lavacrum ventris fordibus conspurcaverat: qua occasione spiritu prophetico, qui eum baptizabat, vaticinatus est Germanus Patriarcha, futurum aliquando, ut Ecclesiam ille suæ fordibus impietatis scaderet. Ille vero ad paternam adversus pias Imagines perfidiam, Sanctorum in Cælo regnantium venerationem, atque adeo Virginis Matris, quam prohibebat Dei Matrem appellari, sacrum etiam Reliquiarum cultum quantis potuit viribus exterminavit. Pseudosynodum trecentorum triginta octo Antistitem coegit, cujus decreto adversus pias Imagines conclamatum est anno 754. Per triginta quatuor regni sui annos vix unquam crudelia & atrocissima supplicia intermisit. Tandem dum adversus Bulgaros exercitum movet, interno visceraque depascente igne conflans, vociferansque Divina se ultione cremari, ob contemptam & deonestatam Matris DEI dignitatem, æternoque se damnatum incendio, miserimam animam efflavit, Septembris mense anno Christi 775. Successorem Regni & impietatis filium habuit Leonem quartum, qui pro imaginibus evertendis omnem adhibuit sollicitudinem, annoque demum Imperii quinto, pristina flagitia sacrilegio cumulavit. Coronam enim pretiosissimis lapillis emicantem, quam Mauricius olim in primario Templo dedicarat, inde raptam præ gemmarum studio, dum capiti suo applicat, carbunculis igneis & capite tumefactibus, ex quibus ardens exorta febris, inter gravissimos dolores consumptus est, decurrente Christi anno 780.

4. Filius huic successit Constantinus sub matris Irene tutela: qui cum matre annos fere decem imperavit: Irene exordia pietatis & fortitudo illustrarunt. Nicephorum enim Constantini patrum Imperii cupidum, prællis fractum Græcia fugavit. Tarasium quoque pietate insignem virum Regiæ urbis Patriarcham fecit: Eoque hortante Synodum œcumenicam curavit convocari, eaque de re ad Hadrianum Papam una cum filio scripsit. Id vero negotium felici exitu perfectum est, quamvis gravibus occurrentibus obstaculis: ex Occidente Apostolici Legati, ex Oriente autem omnium sedium Patriarchalium Legati Constantinopolim advenierunt, coeuntibus plerisque Episcopis. Ceterum hæreticorum factione res ad seditionem deducta est: quamobrem in annum dilata res est, relictaque Constantinopoli seditionis tum militibus, tum civibus reserta, Nicæam convenere Antistites, Christi anno 787. numero trecenti quinquaginta, presidentibus Romani Papæ Legatis Petro Presbytero, alteroque Petro Sancti Sabæ Abbate, cum Tarasio, atque aliorum Patriarcharum Vicariis. Hæc est septima Synodus œcumenica Nicææ in Bithynia habita, in qua Iconoclastarum condemnata hæresis, piarum Imaginum instauratus est cultus.

5. Felicem istum rerum decursum interpellavit ambitio, tutelæ & administrationis maternæ pertæsus Constantinus, neque Stauracii, cujus consiliis omnia gerebantur, potentiam ferre valens, Irenem matrem in ordinem redegit, & custodia sepelit; Stauracium in carcerem trussit. Dum autem juvenis per se assentatorumque consiliis res Imperii pessime administrat, & innocuos adulatorem delationibus & calumniis persuasus afficit supplicis, uxori quoque repudium mittit, quam Monasterio includit, eaque vivente Theodoram sibi ementito nuptiarum nomine jungit, ipso connivente Tarasio, metu ne quod juvenis minabatur libidine percitus, abrogata Nicæna Synodo, Patrum suorum hæreses revocaret, & Catholicos ad illorum imitationem omni vexationum genere infestaretur, quæ res Orientis Ecclesias dissensionibus replevit: duobus sanctissimis magneque auctoritatis viris Platone & Theodoro Studita, non modo a Josephi Abbatis, qui has sacrilegas nuptias junxerat, sed etiam ab ipsius Tarasii communionem recedenti.